



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Brevis Expositio Propositionum Damnatarum

Didacus <ab Aragonia>

Venetiis, 1728

Missæ Stipendium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42653

integram Missam audiendam, atque ad eam ad audiendas singulas Missæ partes, non verò ad audiendas illas continuatè ab eodem Sacerdote; neque damnari opinionem doctentem, quòd possit aliquis simul audire Missam præceptam, & recitare horas Canonicas, Rosarium &c.

MISSÆ STIPENDIUM.

405. **Q**Uæritur. An possit Sacerdos pro eadem Missa duplicatum stipendium licitè accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet Celebranti correspondentem, idque possit decretum Urbani VIII.?

Resp. Non potest Sacerdos pro eadem Missa duplex stipendium licitè accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus personalis, scilicet qui cedit in bonum ipsius celebrantis, ratio est, quia decreto Urbani VIII. prohibentis stipendiorum pluralitatem pro una eademque Missa, accessit decretum Alexandri VII. expressè damnantis propof. 8. utpotè repugnantem virtutibus Religionis, & iustitiæ, cum accipere alterum stipendium pro fructu speciali, alterum pro specialissimo, iniustitiam, & simoniam sapiat, nam fraudatur conferenti stipendium, & accipitur pretium pro re spirituali.

406. Quæritur. An possit Sacerdos accipere pro eadem Missa duplex stipendium, alterum pro præsentia, seu officiatura, alterum pro applicatione sacrificii, ut ante decreta prædicta nonnulli docuerunt?

Resp. Negativè, nisi in casu, quo offerens stipendium pro officiatura exprimat,
ant.

aut ex circumstantiis arguatur, quod consentus sit sola præsentia, unde liceat alteri sacrificium applicare, scienti enim, & volenti non fit injuria, quod si hoc non consent, certe nequit hoc duplex stipendium accipi, quia præsumitur, quod illud offerens velit utrumque.

407. Quæritur. An possit duplex stipendium accipi pro eadem Missa, si alter petat solum impetrationem, alter solam satisfactionem, è sacrificio promanantem?

Resp. Negative, nisi uterque expressè consentiat in hoc, quod alter tantum ex his effectibus sibi applicetur, aliter censetur utrumque effectum velle, & quamvis videatur petere tantum impetrationem, qui petit Missam ad obtinendam salutem ægroti implicitè tamen petit etiam satisfactionem ut sibi profit, aut animabus Purgatorii, quæ eandem salutem ægroti suis orationibus impetrent, & eodem modo qui petit Missam pro defunctis non solum vult satisfactionem, sed etiam impetrationem, vel ut sibi profit, vel ut impetrentur alia suffragia pro eisdem defunctis.

408. Quæritur. Quodnam reputetur justum, & adæquatum stipendium Missæ?

Resp. Reprobata opinione asserentium, non esse justum nisi tantum detur, quantum necesse est ad sustentationem Sacerdotis, ac ipsius Parentum pauperum, dicimus illud esse justum, quod lex Ecclesiastica, vel loci consuetudo taxavit, *juxta decret. San. Congregat. de celebratione Missarum ad 5. Romæ Julium* est ordinarium stipendium, & consueta eleemosyna pro qualibet Missa privata, etiam in die festo celebranda, nisi speciale incommodum temporis, vel loci

Sacer-

Sacerdos subire debeat; quia tunc majus stipendium (non tamen duplex pro una, eademque Missa) accipere poterit.

409. Quæritur. An si stipendium ab uno acceptum non sit justum; sed tenue, possit Sacerdos ab alio tantum accipere quantumque sufficit ad justum stipendium, & unica Missa utrique satisfacere.

Resp. Negativè quia *Sacra Congregat. ibid. §. deinde;* extendit dispositionem, etiam ad stipendia quantumcumque incongrua, & exigua, sive ab una, sive à pluribus personis collata fuerint, aut conferantur, neque in hoc consideranda est Sacerdotis paupertas, neque victualium inopia.

410. Quæritur. An sacerdos, qui hodie à nemine stipendium accepit, possit Missam, quam celebrat, applicare illi, qui primus stipendium dabit?

Resp. Non posse, quia legitur prohibitum à S. Congreg. Concilii in responso dato 15. Novemb. 1605. sub Paulo V. ad Archiepiscopum Hispalen. & est communis fidelium mens, stipendium dari non pro Missa jam dicta, sed pro dicenda.

411. Quæritur. An post Urbani decretum possit Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere: collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta?

Resp. Negativè, nam ex hoc sordido lucro plurima sequerentur incommoda, idcirco jure merito ab Urbano VIII. tale lucrum vocatur damnabile, & prohibetur, & post ipsum Alexander VII. opinionem affirmativam cum propos. 9. damnavit; & quamvis nonnulli opinentur, Sacerdotem in acceptione, seu retentione hujus lucri non

non peccare mortaliter, nec obligari ad illud restituendum oppositum tamen tenendum est tanquam certum, tum quia tam subtilis districtio Sac. Congregat. indicat velle sub gravi obligare, quod pariter colligitur ex decreto Urbani, ubi legitur, *similiter prohibet*; cum autem antecederet Pontifex sub obtestatione divini iudicij mandaverit, quod tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint, aliter graviter peccent, & ad restitutionem teneantur qui secus egerint, & deinde dicat, *similiter prohibere hoc damnable lucrum*, sequitur, quod detur ad id obligatio sub gravi, & onus restitutionis.

413. Retineri tamen potest hoc lucrum, primò, si omninò sponte, & ex mera liberalitate condonetur ab eo, cui Missa traditur celebranda, sicut enim potest hic integrum stipendium condonare, & celebrare gratis, ita potest condonare illi excessum iusti pretii, cavendum tamen, ne ista condonatio sit oretenus tantum liberalis, at tamen verè sit coacta, & meticulosa, cum ad id facile Sacerdos inducatur metu, ne in posterum inveniat eleemosynas pro Missis celebrandis.

414. Secundò, retineri probabiliter potest, si moraliter constat, stipendii iusti excessum dari Sacerdoti liberaliter, non intuitu Missæ celebrandæ, sed intuitu personæ, quia videlicet est amicus, vel pauper.

415. Tertio, ex *declaratione S. Congreg. ad 7. dubium* poterunt Ecclesiæ, seu Administratores locorum priorum valorem expensarum, quæ pro ipsomet sacrificio necessario sunt subeundæ, ut sunt candelæ, hostiæ, vinum, &c. ex eleemosynis pro Missis detra-

destrahere, dummodo non habeant redditus, quos in usum earundem expensarum erogare licite possint.

416. Quartò, Beneficiarius, qui potest Missam per alium celebrare, poterit tribuere alteri congruam eleemosynam (nisi in fundatione aliter cautum fuerit) & pingues Beneficii fructus sibi retinere, *ut declaravit eadem S. Cong. in responsione ad 8.*

417. Quintò, videtur extendendum ad capellaniam, cum eadem sit ratio de utroque, quando videlicet dantur pingues redditus, ut quotidie alacrius Altari deserviantur, ac propter alia onera subeunda; similiter extendendum ad Sacerdotem, cui relinquatur pingue legatum annuum ad ejus vitam cum onere certarum Missarum; decretum enim videtur solum loqui de eleemosyna manuali.

418. Quæritur. An Parochus possit eleemosynam accipere pro Missa celebranda iis diebus, in quibus tenetur ex divino precepto sacrificium offerre pro suis Parochianis, pro quibus tenetur singulis diebus, si redditus sint pingues; si verò tenues saltem diebus festivis, ut *S. Congr. 10. Maji 1681.* declaravit?

Resp. Negativè, nam Parochi in ordine ad offerendum sacrificium pro suis ovibus habent specialem quamdam obligationem, diversam ab illa, quam habent singuli Sacerdotes applicandi fructum Missæ omnibus Christifidelibus, sed isti (quemadmodum ipsi Parochi) tenentur applicare fructum generalissimum omnibus fidelibus; ergo suis ovibus Parochus fructum medium, seu specialem, ut speciali obligationi satisfaciat, res est certa, & conformis declarationi

tionis S. Cong. Concilii in responsione ad
419. Quæritur. An dato stipendio ad
effectum, ut Missa determinate celebretur
in tali Ecclesia, capella, vel Altari, te-
neatur Sacerdos ibi Celebrare, & quate-
nus non ibi, sed alibi sacrificet, peccet
mortaliter?

Resp. Affirmativè, nam ita resolutum
fuit à S. Congr. Concilii 17. Augusti 1647.
in una Regularium, ratio est, quia facit con-
tra suam obligationem in re gravi, &
mentem offerentis non implet, cum quo
contractum, ad minus tacite, celebravit
de ibi celebrando, quando stipendium rece-
pit, nisi id faciat iusta, & rationabili cau-
sa: verùm si sine huiusmodi causa alibi ce-
lebraverit, & Altare electum fuerit privi-
legiatum, tenebitur supplere iterum cele-
brando in electo, & sibi imputet, si bis pro
eodem celebrare teneatur.

420. Quæritur. An sit contra iustitiam
pro pluribus sacrificiis stipendium accipe-
re, & sacrificium unum offerre; & an
etiam sit contra fidelitatem promittere
promissione etiam juramento firmata danti
stipendium, quod pro nullo alio sacrifi-
cium offeretur?

Resp. Esse contra iustitiam, contra fide-
litatem, & contra Religionem, constat
ex propof. 10. inter damnatas ab Alexand.
VII. contra iustitiam, quia Urbanus VIII.
in decreto de celebratione Missarum hoc
prohibet sub peccato gravi, & sub onere
restitutionis, nemo enim ad restitutionem
tenetur, nisi contra iustitiam peccet; esse
etiam contra Religionem est certum, nam
virtus Religionis dictat, & exigit, quod
vota, & juramenta adimpleantur, ergo

cui

Qui promissionem juramento firmatam non implet, proculdubio contra virtutem Religionis facit, quod si tempore promissionis juratae animum implendi non habuit, fuit etiam perjurus; esse pariter contra fidelitatem non est dubium, nam si promissione gratuita, & non onerosa Sacerdos promittat alicui, quoddam sacrificium pro ipso tantum sit oblaturus, & illud idem pro alio offerat, contra fidelitatem peccat, quia promissio spontanea acceptata de re elicita, & possibili, alteri grata, & utili, obligat in conscientia; quicquid sit, an hujusmodi promissio secundum se independentem à ratione gravis damni, quod alias promissarius pateretur, obligat sub mortali, si materia sit notabilis, in quo variant DD. sicut etiam variant in assignanda hac materia notabili.

421. Quæritur. An graviter contra justitiam peccet, qui accepto duplici stipendio unum tantum sacrificium offert pro utroque; & num etiam contra fidelitatem peccet graviter, qui unum sacrum offert, debens duo ratione promissionis, præsertim si promissio fuerit juramento firmata; an verò ratione parvitatæ materiæ excusetur à mortali in utroque casu?

Resp. Non peccatur graviter, si omitatur una, vel altera Missa liberaliter promissa, aut si pro debito duarum liberaliter promissarum una tantum offeratur; ratio est, quia damnum illud spirituale, quo promissarii privantur, non videtur notabile, nam gravitas boni spiritualis in his casibus attenditur juxta facultatem habendi consimile, quia autem facile potest haberi sacrum erogando Julium, seu stipendium

dium congruum, idè sicut non est mortale negare Julium promissum, ita nec Missam promissam; idem dicendum, si quis unam, vel alteram Missam promittat liberaliter cum juramento, supposita probabilissima opinione, quòd juramentum promissorium homini exhibitum in materia levi non obliget graviter, dummodò tempore promissionis juratæ animum implendi habuerit. Verùm quia quando quis ex contractu oneroso, scilicet ex stipendio obligat Sacerdotem ad faciendum sacrum, videtur esse graviter invitus, & quidem rationabiliter, quòd sacro privetur, quo indiget sæpè ob gravem necessitatem, sive spirituales, sive temporales; ideo communissimè docent esse mortale omittere sacrum debitum ex justitia; immò nonnulli putant esse etiam mortale, aliquando illud differre, ut si quis petat sacrum pro ægritudine gravi filii, & interim moriatur ex dilatione sacri, à quo probabiliter poterat salutem obtinere.

422. Quòd autem attinet ad restitutionem, qui unum sacrum ex justitia debitum omittit non nisi Carolenum, seu Julium tenetur restituere, propterea negligere restitutionem hujus regulariter est veniale ex parvitate materiæ. Qui verò omittit sacra promissa ex liberalitate, ut ad materiam gravem perveniat, docent communius quòd requiratur quantitas quadruplo major, quam in materia justitiæ, undè si in materia justitiæ quantitas gravis obligans ad restitutionem essent v. g. tres Missæ omissæ, in materia fidelitatis requiruntur duodecim; in opinione verò illorum, qui docent, fidelitatem per se nunquam obligare

re graviter, eo quod nullus promittens liberaliter velit se graviter obligare ad promissum servandum, tunc nunquam datur obligatio gravis restituendi ex omissione Missarum sponte promissarum; ubi tamen promissio sit juramento, aut instrumento firmata, tunc enim censetur promittens velle dari alteri jus rigorosum, & gravem sibi injungere obligationem, non secus ac quando obligatur ex contractu oneroso, atque adeo quantitas obligans tunc graviter ad restitutionem ea ipsa est, quæ in materia justitiæ; ex quibus omnibus innotescit, quid dicendum ad quæsitum propositum de eo, qui accepto stipendio duplici ob duplex sacrum: unum tantum pro utroque offert.

423. Quæritur. An sit contra justitiam, & contra decretum Urbanum, si à Capellano obligato ad celebrandum quotidie accipiatur stipendium novum pro Missis, iis diebus, quibus *ex cap. significatum de Præbendis*: honestatis, ac debite devotionis causa permittitur aliquando sacrum omittere?

Resp. Affirmativè, ratio est, quia *in eo cap. significatum* dicitur, non licere Sacerdoti à sacrificio vacare causa voluptatis, sed solum aliquando causa devotionis, vel honestatis, unde non potest præsumi de benigna mente fundatoris, quod velit vacationem permittere ad otia dum, ut proinde licitum sit Sacerdoti, otio prætermisso, pro alio stipendium offerente celebrare; quinimò S. Congregat. interrogata ab Episcopo Collensi, num liceat Sacerdoti habenti obligationem celebrandi quotidie aliquando vacare; & tunc si celebret, an possit pro se, vel pro suis sacrificium offerre pro alio, à quo novum stipendium accipiat? Respondit

dit

dit die 18. Septemb. 1683. posse quidem aliquando concurrente rationabili causa vacare, tunc autem non posse, si celebret, pro aliis sacrificium offerre, quam pro fundatore illius cappellania; immò interrogata etiam S. Congr. ab eodem Episcopo, an die vacationis teneatur Sacerdos per alium satisfacere, noluit annuere, sed dixit differendam esse ad tale dubium responsonem.

M O H A T R A .

424. **Q**Uæritur. Quid sit contractus Mohatra, & an sit licitus, etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis præviè inito cum intentione lucri?

Resp. Intervenit hic contractus, dictus apud Hispanos Mohatra, & apud Italos *Stocco*, seu Barata, quoties Cæjus indigens pecunia numerata adit mercatorem, qui nolens pecuniam dare mutuam offert merces, quibus ille non indiget, ut emat eas pecunia cedita pretio summo, puta 105. & deinde sibimet retrovendat easdem pecunia numerata pretio infimo, puta 100. hujusmodi contractus damnatus est ut illicitus ab Innoc. XI. cum prop. 40. & quamvis non dicatur illicitus, vel quia scandalosus, vel quia contra charitatem, vel quia contra justitiam, communiter tamen docent, esse injustum, & usuram palliatam continere, ratio est, quia Cajo indigenti pecunia solvit mercator centum, & necessitatem imponit, ut ille aliquando debet solvere centum, & quinque, adeoque æquivalenter idem facit ac mutuarius, qui mutuatur centum, & supra sortem exigit etiam quin-